

DISQVIVISIONUM ORGANICARUM VICESIMA

SECUNDA, vide 23^{am} pag. 14 folia

De

ANALYSI SYLLOGISMORUM

è cap. 32. 33. 34. 35. & seqq. prior. Analyt.

QUAM

DEO OPT. MAX, ANNUENTE
in Illustri ad Salam Academiâ,

PRÆSIDE

M. MICHAELE WOLFIO,
Philosophiæ Naturalis Professore
Publico.

Pro viribus defendet

CHRISTOPHORUS BRUNNERUS,
AUSSEA-STYRUS.

Ad diem 19. Decembris,

Horis & loco consvetis.


J E N Æ

Typis Johannis Beithmanni,

ANNO M. DC. XVI.

*Clarissimo & singulari Humanitati Eruditione
excellentissimo Sr. M. JOHANNI WILKOVIC
L. L. Carolo Carol. Gymnasij Correctori*

TMd04Z



VIRIS

Magnifico, Nobilissimo, Prudentissimoq;
DN. EMERANO LERCHEN-
FELDERO, Liberæ Imperialis Ratisbo-
nensium Reip. Exconsuli spectatissimo, Curiā tutela-
ris Directori Amplissimo, ejusdemque Synedrii
Ecclesiastici Assessori dignissimo.

UT ET

*Reverendis, Clarissimis, Humanissimis, omniq; eruditionis
ac virtutum laude præstantissimis,*

Dn. M. JOHANNI COEMENTA-
RIO Superattendenti apud Ratisbonenses
vigilantissimo, optimèq; de Ecclesia Christi
merito, adhuc quotidie merenti,

Dn. M. JOANNI SARCANDRO, ejusd.
Eccles. Diacono fidelissimo,

Dn. JOANNI RÜDIO, Diacono ibidem dignissimo,

Dn. JOANNI STROBELPERGERO Ratisbonen-
sium Pharmacopœo peritissimo juxta ac fidelissimo;
curiāq; judicialis assessori dignissimo.


*Dn. Mecœnatibus, Fautoribus, Promotoribus
& Affini suis atatem colendissimis.*

Hoc ἀγώνισμα Logicum,

In qualem qualem studior. arrham

D. D. D.

Respondens.



A D

Ornatissimum & Doctissimum Dominum
RESPONDENTEM.

Dulcius ex ipsis potantur fontibus undæ
BRUNNERE, & melius concedere posse Corinthum
Ipsemet. Ecce! DEUS te dirat utroque benignè,
Quando JENÆ ad Salam studiis RATIS-INCLYTA-PONA
Invigilare bonis, magis auctum atq; inde reverti
Jussit, & hæcce super gustas dis-ritè-putando,
Fons Sophiæ quas promat aquas quid & ille Sophorum
Magnus Aristoteles, dictârit in Organo acutè:
Laudo. Laudabit mecum RATIS-INCLYTA-PONA,
Tum pater atque alii sibi gratabuntur ovantes.
Hôc alacris pergas pôst tramite currere, & inde,
Surget honos, nomenq; tibi, quod faxit JOVA.

M. Michael Wolfius, Physices
Profess. publ.

I Malè sana cohors variis anfractibus erra
Inscia, quæ Logicam despicias atq; fugis.
Verius & citius rerum cognoscere causas
Tu poteris, Logicam si benè doctus eris.
Ergò age BRUNNERE studium hoc studiosius urge;
Ut studiis aliis invigilare queas.

Johann. Jacob. Geyer
Ratisp.

Cur Sophiæ ad fontem tanto *Fontane* labore
Ad properas studiis invigilasq; tuis?

Scilicet

Scilicet ut Patriæ quondam inservire Parenti &
Sis potis? ut fiat, da D E U S alme precor!

Joannes Georgius Riid Ratisbon.

T Orrida dum fruges maturis solibus æstas
Excoquit, & messem præparat alma Ceres;
Formica exercet durum sub sole laborem,
Condit & in cellas turgida farra suas.
Mensibus æstivis, ut si discesserit annus
Terræq; astringunt frigora acuta sinum,
Casum hyemis secura suo contemnat in antro
Solans præterito triste labore gelu.
Sic quoq; tu Brunnere tuâ florente juventâ
Dumq; valent humeri & vivida dextra tua est;
Latè omnes Sophia campos, & rura pereras,
Atq; Stagirita scripta diserta Viri.
Perge ita constanter passu prodire tenaci
Præmia Pierides sic meliora ferant;
Enthea sic studiis feliciter affluat aura,
Famaq; sydereos transvolet aucta polos.

app.

ὁμοσκήνω suo


Joannes Dietlmaier Ratisbon.

C Um semper bone Brunnere assiduus mihi visus
Et simul in Musis; & pietate, probo hoc.
Sic Perge & largè te fortunabit J O V A
Afferet ecce tibi præmia digna labor.

Joannes Simerlinus Ratisb.

os [o] so





M. MICHAELIS VVOLFII
Physices Profess. Publ.

DISQUISITIONUM ORGANICA-
RUM VICESIMA SECUNDA.

De
ANALYSI SYL-
LOGISMORUM

è Cap. 33. & seqq. lib. 1. prior. Anal.

Respondente

CHRISTOPHORO BRUNNERO,
AUSSEA-STYRO.

CONTINUATIO.

Ultimum quod restat in lib. 1. prior. Anal. est de Syllogismorum resolutione. Si enim consideraverimus quomodo Syllogismum construere oporteat, item quâ ratione inveniendum sit medium, ad probandum quodcunque genus problematis, ac denique quo artificio ratiocinationes constructæ; confusæ tamen & imperfectæ, in figuras modos syllogisticos resolvere deceat: finem accipiet id, quo de initio hujus libri Aristoteles agere constituit.

THEOREMA I.

Duûm sunt generum præcepta resolutionem Syllogismorum spectantia, quorum unum est de ratiocinationibus *confusis & indi-*

Vu

gestis,

SECTIO I.

CAP.
XXXIII.



Resolvere Gracè ἀναλύειν nobis hoc loco nihil aliud est, quàm datâ aliquâ conclusione, inquirere causas & principia, è quibus conclusio debet colligi. Ut ergò

resolvere
quid

ratiocinationes confusas & indigestas, quales cum primis apud Oratores & Poëtas deprehendere licet, syllogisticè possis disponere, & in figuras modosq; resolvere: sequentia hæc observentur præcepta.

prim. præc.

1. Danda est opera ante omnia, ut duæ propositiones excerpantur: nam facilius est in partes majores, cujusmodi sunt propositiones, syllogismum resolvere, quàm in minores; quales sunt termini.

Obj.

2. Objicit Ramus l. 7. schol. Dial. cap. 15. terminorum considerationem generaliore, antiquiore & naturâ priorem esse, & per consequens Aristotelem prius ad terminorum analysin debuisse adduci: verùm vix digna est hæc objectio responsione, non enim hic quaritur quid generalius, quidve naturâ prius sit, sed quid prius resolvendum occurrat. Tale autem quid, quod potius sint propositiones quàm termini, ecquis non videt? quare reprehendi non potest, quod primum præcept. de propos. excerpendis constituit, siquidem non omne, quod naturâ prius, priorem locum in doctrinâ sibi vindicare debet.

Respon.

3. Sed inquiet alius quispiam, qui primum solliciti sumus de propositionibus eruendis, cum tamen prima cura esse debeat, ut videamus, quæ sit principalis questio seu conclusio: Verùm dubio huic obviam procedit Crell. l. 3. part. com. Log. c. 13. dicendo. Aristoteli hic propositum esse (& quidem præcipue) agere de illius syllogismi analysi, cujus conclusio nota est. Quo stante jure de propositionibus primum præcipitur.

2.

4. Secundò videndum est utra propositio sit in toto, utra in parte, hoc est, quænam universalis sit; quæ verò particularis. Pertinet huc etiam illud, ut videamus, quæ major sit, quæ verò minor, item si ambæ universales, an æquè latè pateant, an verò minus.

minus. Facit enim hoc ad cognoscendum syllogismum hujus vel illius figuræ. 295

5. Tertiò, si ambæ propositiones non sint sumtæ, altera suppleatur. Sin verò aliquid supervacaneum, adimatur. Duo continentur hoc præcepto, quorum unum est de superfluis rescindendis, quæ propter ornatum vel aliã de causã sunt addita, alterum de propositionum defectu supplendo, contra quod provocat Ramus, ad omnes Oratores, Poëtas & Philosophos inquiring, quæstionem syllogisticam vix millesimam plenis syllogismis contextam, & conclusam reperiri, ac Enthymematis communem hominum usum ferè contentum esse. Quid tum? an propterea non liceat resolvere? Imò quoniam Autores supra dicti imperfectè, & haud rarò confusè argumentati sunt, vel maximè ἀνάλλυσις urgenda est. Ast, inquit idem, si assumptio clarior est, frustra dicitur, similiter, si propositio per se apparet, assumptione solã concluditur, interdum ne concluditur quidem, sed duabus positis partibus, ut etiam alterã, complexio prius intelligitur, quàm dici potest. Quasi verò assumptio semper esset clarior, ac major propositio semper per se appareret? Quasi verò superfluum, quod immisceri frequenter solet, pro alterutro non posset apprehendi? Quasi verò, quod uni clarum & manifestum est, omnibus statim tale appareret omnesq; unã propositione datã, conclusionem sine periculo valerent concludere?

6. Etsi verò non inficiamur in quibusdam facile videri posse, quod deest; in omnibus tamen ita non est, imò putamus, quandoq; syllogisticè conclusum esse, cum tamen minus sit conclusum, quod diligenter hinc notandum. Ut si quis dicat: non sublatã substantiã, non tollitur substantia, atqui partibus sublatis, tollitur id quod ex illis constat. Ergò partes substantiæ sunt substantiæ, putatur esse syllogismus, cum tamen reverã non sit, siquidem desunt propositiones adhuc eruendæ, hunc videlicet in modum: Quo sublato tollitur substantia, illud est substantia: Atqui partibus sublatis tollitur substantia tanquam id, quod ex illis constat. Ergò partes sublatae sunt substantia.

7. Iterum hinc Ramus oggannit, aiens, priorem orationem pro sophismate ab Aristotele haberi, cum tamen verum & constantem syllogismum habeat. Verum negatur, quod Aristoteles pro sophi-

smate habuerit, sed hoc saltem dicit, quod quis decipi possit, si existimet inibi syllogisticè conclusum esse. Unde etiam negatur, quod actu in se syllogismū habeat; sed saltem potestate. Aliud n. est necessariò, aliud necessariò syllogismo concludi. Illud lati⁹ patet extendens se ad illa etiam, quae tantum necessitate materiae concludunt; cuiusmodi quoq; erat superior oratio; hoc verò iis competit, quae aliquid vi formae ex positis necessariò inferunt.

Quos spectet Arist. 3. præcepto.

An syllog. mentalis tempore Arist. non fuerit.

CAP. XXIV.

4.

5.

6.

7.

8.

CAP. XXV.

8. Ceterum hoc tertio præcepto Aristoteles ad illos vel qui ore argumentationes suas proferre solent, ut disputantes, vel qui scriptis exprimunt, respexit; An verò propterea syllogismus mentalis tum dormitaret, & jam ab heri & hodie nata Philosophia excitatus sit, non facile dixerim. Nulla enim est consequentiae ratio: Aristoteles præc. suo tert. respexit ad syllogismos vel vivâ voce expressos vel chartis annotatos. E. Syllögismus mentalis tum planè fuit nullus, vel nuper natus est. Quid? si non potuisset respicere: non enim omnia præcepta quae hic traduntur, indifferenter ad quaecumq; accommodari queunt, quemadmodū & præcepta inventionis medii haud quemcumq; syllogismum respiciunt, vel respicere possunt.

9. Quarto, Propositiones dividantur in terminos tanquam partes propositionis minores, & ex hisce medius eligatur, & cujusmodi est, qui bis ponitur in ambabus propositionibus. Quinto, è Medio invento figura colligatur, siquidem diversâ ejus dispositione figuræ variantur. Sexto, si in aliqua oratione terminus bis non est positus, ea negligenda est tanquam ἀσυνδύσις. Septimo, Figura syllogismorum non duntaxat è medio, verum etiam è problemate queratur: frustra enim quaeretur syllogismus universaliter affirmativè concludens in sec. figura, quia tale problema in ea, non reperitur.

10. Octavo, cavendum est, ne sumamus propositionem indefinitam pro universali: hoc enim si factum fuerit, sæpè conclusio falsa erit præmissis veris existentibus, ut cum dico: Intelligibilis Aristomenes semper est; Atqui Aristomenes est intelligibilis Aristomenes. Ergò Aristomenes semper est. Item Miccalus musicus interibit cras, Miccalus est Miccalus Musicus. Ergò Miccalus cras interibit. Conclusio utrobique falsa est. Ergò quedam è præmissis, non verò minor, ergò major.

11. Quomodo autem ea falsa sit, ab omnibus Interpret. eod. modo non

do non exponitur. Jul. Pac. in suo comm. l. 1. prior. c. 33. Aristomenem intelligibilem, intelligit quoddam universale, conveniens tam Aristomeni individuo, quam idea Platonica, & dicit majorem indefinitè sumtam esse veram: falsam verò universaliter. Econtra Francisc. Burana, ut annotat Monlor. in com. c. 35. ait majorem esse veram, sumendo Aristomenem pro naturâ à singularibus abstractâ. Atq; hanc explicationem, etsi Monlorius omni ex parte non improbat; negat tamen eam ad alterum exemplum accommodari posse, cum tamen Arist. dicat utrobiquè idem esse vitium, hoc est, quod major non sit universalis. Quare multò aptiorem judicat illam, quâ utraq; major sic limitatur, Aristomenes intelligibilis semper est, quâ est intelligibilis, Miccalus Musicus cras interibit quâ Musicus est: ut ita ostendatur simul inesse Elenchum secundum quid.

12. *Que sententia, uti bona est, sic priores due non simpliciter sunt repudiandæ. Quemadmodum enim verum est, Aristomenem intelligibilem semper esse, sumendo hanc propos. indefinitè, tam pro idea, quam pro individuo; falsum verò sumendo universaliter, sic enim Aristomenes individuum semper esset: ita quoq; verum est Miccalum Musicum cras interiturum, sumendo hanc propos. indefinitè tam pro Idea, quam pro Individuo Miccalo, falsum verò sumendo universaliter, sic enim sequeretur Miccalum tanquam Ideam interiturum esse. Hoc ideoq; solum discriminis erit, inter utramq; majorem, quod si prior universalis reddatur, ea vera sit tantum de Aristomene sumto pro Idea, si posterior, ea verificetur de Aristomene individuo tantum. Sed hac obiter.*

13. *Nonò, non sumantur nomina abstracta pro concretis: quoties enim hoc fit, pro iis concreta sunt substituenda. Sic si ita fueris argumentatus: nulli morbo inest sanitas. Atqui omnis homo potest habere morbum. Ergò nullus homo habet sanitatem: sequitur conclusio falsa è præmissis veris, quod non aliunde, nisi quia jam dictum præceptum haud fuit observatum, quia si pro abstractis adhibueris concreta, statim apparebit falsitas hoc modo: Nullum morbidum est sanum. Atqui omnis homo est morbidus. Ergò nullus homo est sanus. Hic conclusio est falsa propter minorem falsam. Similiter nisi hoc in syllogismo concreta adhibueris, falsum è veris sequetur hoc pacto:*

V u 3

Con.

9.
CAP.
XXXVI.

Contingit omni homini inesse morbum. Contingit sanitatem inesse omni homini. E. contingit sanitatem inesse alicui morbo. *Hoc verò evitabis, si sic ratiocinaberis.* Contingit O. hominem esse morbidum. Contingit O. sanum esse hominem. Ergò contingit quoddam sanum esse morbidum.

10.
CAP.
XXXVII.

14. *Decimò, integra interdum oratio pro uno termino simplici sumatur: fieri enim potest, ut iis rebus quas orationibus exprimimus, simplicia vocabula non sint imposita, qua de causa integræ sunt sumende orationes. Evidenter hoc videre est, cum definitiones loco medii ponuntur, quæ sunt orationes, ut habet earum descriptio. Non jam disputo, an definitio unico constare possit vocabulo: hoc enim si verum est, nullâ adhiberi cautelâ idem erit respectu ejusdem generis & differentia, idem quo unum cum altero convenit & differt, idem generalius & specialius, quæ omnia contradictionem implicant.*

11.

15. *Undecimò, cum syllogismi terminos per se consideramus, eos ponamus in casu recto; cum autem syllogismus extruitur, modò rectis modò obliquis casibus utamur. Sic cum propositionis hujus, contrariorum una est scientia, terminos seorsim considero, eos per casus rectos, contraria & una scientia, expono; Cum verò syllogismum conficio, sic dico: contrariorum una est scientia (non quod contraria una sint scientia) atqui bonum est contrarium. E. boni est scientia.*

12.

16. *Duodecimò, Diligenter attendatur, quomodo unum alteri attribuatur: nam cum dicitur, unum de altero verè enunciari, tot modis hoc intelligi potest, quot sunt categoriæ, ut cum dico, homo est animal, prædicatio est secundum substantiam, quia animal est in categ. substantiæ &c. Summatim autem loquendo, jubemur hoc præcept. considerare, an prædicatum essentialiter: an accidentaliter, an simpliciter, an secundum quid, an necessariò, an contingenter de subjecto dicatur.*

13.
CAP.
XXXVIII.

17. *Decimò tertio: reduplicatio, si qua addenda est, illa non medio sed extremo addatur. Sic si ostendere volueris, justitiæ scientiam esse quatenus est è bonorum genere; sic debes procedere, quod bonum est, ejus est scientia quatenus est bonum, atqui justitiæ est bonum. Ergò justitiæ est scientia, quatenus est bonum. Econtra si reduplicationem quatenus bonum, medio*

dio adjeceris, non concludes, quod concludere volebas; sed hoc saltem, ergò justitiæ est scientia, deinde necesse habebis eandem in minore repetere dicendo, at qui justitia est bonum quatenus bonum, quæ certè propositio est inepta, quia perinde est ac si dicerem, mel est dulce quatenus est dulce, homo est bipes quatenus est bipes.

18. Videre simul hinc est quanta absurda sequantur, si limitatio, majori extremo addenda, planè negligatur. Qua de causa quoque nonnulli miserè se torquent in solutione quorundam sophismatum, ut cum tales extruuntur argumentationes: Quicumque sunt electi, sunt vocati, pauci sunt electi. Ergò pauci sunt vocati, contra illud Christi multi sunt vocati. Item quicumque pro peccatis nostris satisfecit, ille est homo, Christus solus pro peccatis nostris satisfecit. Ergò Christus solus est homo. Item Filius DEI est mortuus, Christus quoad Deitatem est filius Dei. Ergò Christus quoad Deitatem est mortuus, contra illud, Deitas est $\alpha\omega\alpha\ \delta\eta\varsigma\ \eta\epsilon\gamma\ \alpha\ \delta\epsilon\iota\tau\alpha\tau\ \&$. Hæc enim & similia facile solvi possunt, si saltem meminerimus semper in eorum minore propositione ad medium terminum aliquid adjici, quod in maiore non erat positum, & quod cum quâdam reduplicatione seu limitatione majori extr. erat addendum. Sic primùm quod attinet, quoniam terminus pauci, duo dicit, particularitatem & exclusionem quorundam, ita quidem, ut sit hic minoris sensus, quidam sunt electi, & quidem tantùm, vel ita, quidam sunt electi ut pauci: tunc idem debisset etiam poni in maiore, & cum reduplicatione postea majori extr. addi hoc modo, quicumque sunt electi ut pauci, illi etiam sunt vocati ut pauci, seu, quicumque sunt electi tantùm, illi sunt vocati tantùm. Unde nemini non falsitas majoris innotuisset, tùm, quod à parte medii positum erat, malè in conclusione à parte subjecti positum esse. Idem iudices de cæteris, quippe eorum major sic debebat sonare: quicumque solus pro nostris peccatis satisfecit, is solus est homo, Item, qui est Filius Dei quoad Deitatem, ille quoque mortuus est quoad Deitatem. Quod si tamen ejusmodi sophistications ab alio melius solvi poterunt, vitiumque accuratius in iis ostendi, equidem non invidemus.

19. Decimò quartò, cum opus fuerit, nomina & orationes mutare licebit. Sic si nomen vel oratio ambigua fuerit aut obscura, tunc ejusmodi assumatur, quæ minus est talis.

20. Decimò

CAP.
XXXIX.

14.

20. *Decimò quintò*: Cavendum est, ne pro eodem habeantur nomen cum articulo & sine articulo. — Sic apud Ethicos idem non sunt divitias esse τὸ ἀγαθόν, & divitias esse ἀγαθόν, posteriori enim significatur divitias inter bona esse numeranda, quod verum est; priori verò quasi divitiæ sint ipsum summum bonum, quod falsum. Valet hoc præcept. in iis tantùm linguis, quæ articulos habent.

21. *Decimò sextò*, Diligenter attendendum est, ne alio modo propositio accipiatur, quàm quo prolata fuit: variatâ enim propositione variatur quoq; ejus significatio. Sic si quis dixisset, cui omni inest pulcrum, illi omni inest expetendum, tu verò acciperes quasi dictum esset, cui inest pulcrum, illi omni inest expetendum; decipereris: ex hoc enim conclusio sequitur indefinita, ut; O. pulcrum est expetendum, Album est pulcrum. E. est expetendum; ex illo verò universalis, ut O. pulcrum est expetendum. O. album est pulcrum. E. O. album est expetendum, atq; illic minor indefinitè sumta, vera est; sed hîc universaliter, falsa, quia quoddam album potest esse turpe.

22. *Decimò septimò*, in resolvendis syllog. etiam atque etiam videndum est, ne eodem loco probationem habeamus, quo ejus declarationem. Sic Geometria utitur lineâ sensili & curvâ pro rectâ, non quidem ad demonstrandum, sed ad explicandum. Hinc illud, exemplorum veritas ubique non est exigenda. Reliquis præceptis Pacius & Montor. hoc non annumerant existimantes, Philosophum saltem hæc dixisse, ne quis existimet præcedens præcept. propter exempla suspectum posse reddi: verùm uti illis non repugno, ita placuit mihi cum Taret. b. l. peculiare præcept. constituere, præsertim cum contextus non tam reclamet quàm consentiat.

23. *Decimò octavò*, syllogismus compositus cum occurrit resolvatur in suos simplices, è quibus constat, quos tamen omnes ad unam semper & eandem figuram reducere velle impossibile est: ratio est: quia non omne problema in qualibet figura probatur. Discant hinc obiter novi Logici puta Ramista, quid veteribus Logicis syllogismus compositus fuerit? An qui alterutram propositionem habet compositam? Non ita.

24. *Decimò nonò*, cum evertenda est definitio propter ejus particulam aliquam quę definito non competit, sufficit illam tantum particulam reprehendere & evertere: *Sic enim analysis longè futura est facilior, minusq; turbabimur. E. G. si quis definiat aquam humorem potabilem, is refutari potest reprehensã saltem particulã potabilis, quia mare non est potabile, & tamen est aqua.*

25. *Vicesimò*, Syllogismi ex hypothesei concludentes, & qui ad incommodum ducunt, ut omni ex parte ad figuram revocentur, evitandum non est. *Probaturus n. quis non omnium contrariorum unam esse scientiam, hac quidẽ præmissã hypothesei, omniũ contrariorum non eandem esse facultatem; tunc quidem sic argumentatur: Si omnium contrariorum eadem non est facultas, contrariorum una non est scientia; Atqui prius est ex conventionem seu pacto. E. & posterius: Verum syllogismus hic perfecte ad aliquam figuram reduci nequit, quia licet in prima figura ita concludam, contrariorum eadem non est facultas, atqui salubre & insalubre sunt contraria. Er. salub. & insalub. eadem non est facultas, non tamen concluditur, contrariorum unam non esse scientiam, sed saltem ex hypothesei. Idem sentiendum est de syllogismo ad incommodum ducente, probaturus enim O. electum salvari, sumtã ejus contradictoriã, quosdam electos non salvari, tunc quidem sic procedo, O. perseverans in fide usque ad finem vitæ salvatur, atqui quidam electi non salvantur. E. quidam electi non perseverant in fide usque ad finem vitæ. Verum questio illa, Omnis electus salvatur ad figuram non revocatur; sed saltem quoniam dicto syllogismo conclusio propter minorem absurdam efficitur absurda; igitur ejus contradictoriã, quę est, omnis electus salvatur, veram esse relinquitur.*

THEOREMA II.

Sequuntur Theoremata seu præcepta alterius generis continentis resolutionem syllogismorum unius figuræ in aliam.

XX

SECTIO



CAP. XLI.

Reductio &
resolutio
syllogismi
non sunt
idem.

Videtur hinc Philosophus denuò reductionem syllogismorum inculcare, quod tautologiam sapit & frustraneum est. Sciendum autem est aliud esse ostendere, quomodo syllogismi possint in 1. fig. Perfici, & aliud, quomodo probatio in unâ figurâ facta in aliam possit resolvi. Illud facit reductio, quâ de superius; hoc verò resolutio hinc instituta.

2. *Ejus præcepta hæc sunt: 1. Tum syllogismus unius fig. in alteram resolvatur, quando problema in utraque concludi potest, & sic syllogismus in Barbara in aliam figuram resolvi nequit. 2. Resoluturus syllogismum primæ fig. in secundam, vel secundam in primam, convertas majorem: Sin in tertiam, convertas minorem. 3. Si vis resolvere syllogismum 1. Fig. in tertiam vel contra, convertas minorem. 4. Syllogismi secundæ resolvantur in tertiam, quemadmodum syllogismi 3. Fig. in secundam, per conversionem utriusq; præmissæ.*

3. *Non autem immemor sis eorum, quæ aliàs in doctrina reductionis syllogismorum de transpositione, literis initialibus, dupliciq; reductionis modo præcipiuntur: nam & illorum hinc usum esse noveris.*

THEOREMA III.

Præceptorum omnium ultimum est de propositionibus finitis & infinitis.

SECTIO I.

CAP. XLII.


Illud v. est ut caveamus, ne in resolvendis syllogismis propositiones illas putemus esse negantes, quæ sunt infinitæ affirmantes, ut si existimes propositioni huic, nix est alba, hanc opponi, nix est non alba, vehementer decipieris, quia utraq; affirmans est, ac illi hæc, nix non est alba, opponitur. Judicari hinc potest, quid sentiendum sit de illa minore syllogismi cujusdam propositione, Judas non credit, an sit negativa, an verò infinita affirmans? Prius omninò arripiendum esse patet ex exemplo ab Arist. adducto, quoniam enim opponitur illi, Judas credit, tanquam affirmanti, quid non negabit?

2. Pos-

2. Possemus hęc subsistere, nisi videremus dubium moveri, an videlicet verum sit, quod hoc Cap. Arist. inquit, necessario termino infinito aliquid subjici, neganti verò non item? ut *Quaestio.* cum dico non aequale, huic subjicere possum inaequale, quia inaequale est non aequale, at verò huic, non est aequale, non necesse est aliquid subjici, siquidem id, quod non est, aut nullam habet quantitatem, non est aequale. Contrarium autem videtur statuere, l. de Interp. c. 2. cum ait nomen infinitum in quovis tam Ente quam non Ente inesse.

3. Pro solutione hujus dubii, Tatar. l. i. prior. Anal. fol. 58. sub fin. distinguit inter propositionem infinitam, cujus totum praedicatum, ut loquitur, infinitatur, cujusmodi est haec, homo est non albus, & cujus particula aliqua infinita redditur, ut cum dico, hoc est lignum non album, ubi saltem ad album (sic loqui liceat) est infinitatum, reliquum verò finitum manet. Priorem quod attinet, non necesse est toti praedicato infinito aliquid subjici, quod revera sit; sed potest etiam dici de non ente, veluti, quod non est, est etiam non album; at de posteriori semper verum est, ut praedicato ex parte infinito aliquid subjiciatur, quod existit, quandoquidem ut hoc vel illud sit lignum non album, necesse quoque est, ut etiam sit lignum.

4. Ceterum quae Arist. hoc Cap. prolixè de consecutionibus propositionum finitarum & infinitarum, nec non privantium puta, quarum praedicatum privationem quandam, ut esse indoctum, injustum &c. significat, persequitur: eorum explicationem uberiores ex Interpretibus sumere poteris commodius.



Corollaria.


1. An terra cum aqua unum constituat globum? A.
2. An anferes, qui in Scotia nascuntur in arboribus,

XX 2


boribus,

boribus, sint ejusdem speciei cum nostris anseribus? Non videtur. Idem judicetur de ovibus, quas in Tartaria in agris ex semine in illos projecto nasci perhibent.

3. An anima radicaliter sit in corde?
4. An sensus communis referendus sit inter sensus interiores? A.
5. An phantasiâ quævis animalia, etiam Zoophyta & vermes, sint prædita? A.
6. An præstet duos tantum facere sensus int. sensum communem & phantasiâ, an verò tres adjunctâ memoriâ? Prius affirmatur.
7. An phantasia sit quædam ratio? N.



DISQ. XXIII.



33
ξὺν Θεῷ
DISQVIVISIONUM OR-
GANICARUM VICESIMA
SECUNDA, *vide 23^{am} pag. 14 folia*

De
ANALYSI SYL-
LOGISMORUM

è cap. 32. 33. 34. 35. & seqq. prior. Analyt.

QUAM

DEO OPT. MAX, ANNUENTE

in Illustri ad Salam Academia,

PRÆSIDE

M. MICHAELE WOLFIO,

Philosophiæ Naturalis Professore

Publico.

Pro viribus defendet

CHRISTOPHORUS BRUNNERUS,

AUSSEA-STYRUS.

Ad diem 19. Decembris,

Horis & loco consuetis.

J E N Æ

Typis Johannis Beithmanni,

ANNO M. DC. XVI.

*Carissimo & singulari Humanitati & Educatione
exstatissimo Sr. M. JOHANNI WILKOVIC
L. L. Cararico Ratisb. Gymnasii Coarctari*